

men ratio fuit, vitæ, & mortis alternas vices, ex antiquorum instituto, eo ludo referre: ne, dum lætitiæ vacant, ruina impendentis oblii, deliciis intemperanter absorberentur. Nec immeritò sanè tot modis, atque artibus mortis memoria refricata est, cum sit illa ad omnem vitæ rationem vtilissima, nam, cum præ animi leuitate, atque impotentia, ad omnem boni cogitatum temerè effertur, & sublimibus malè coherentis, citò iterum in præceptis ruamus: nulla alia re magis, quàm mortis meditatione, humana inconstantia compefcitur. Enimvero, si cui mors semper ob oculos verferet, seque breui nihil futurum meminerit, vs opinor modum suis cupiditatibus imponet, atque cædibus & rapinis temperabit. Sapienter itaque, & quemadmodum Prophetam decuit, Samuël ab ea dictione sumpfit exordium, quæ nos vltima periodi admoneret: ac, *fuit*, scripsit, quod perinde ac iam non esse interpretor.

*Dei esse, est semper esse.*  
 Fuit, inquit, ne semper esse putes, solius enim Dei esse, est semper esse. Vnde & Elohim dicitur: quod interpretatur S. Epiphanius, Deus semper. Et idem alibi de seipso prædicat, *Ego sum qui sum*. Nos verò, teste Iob, *velut umbra fugimus, & nunquam in eodem statu permanemus: sed quasi aqua in terram dilabimur*: vt sapiens quædã fœmina ex vrbe Thécue testatur. Methodius apud S. Epiphanium hæresi 64. in Epitome Originis verborum de resurrectione, corpus animalium fluuium non immeritò dictum annotat, quandoquidem sicut prioribus decedentibus vndis nouæ succedit: ita & in corporibus vsu venire solet, vt pro ea, quæ defluit corporis substantia, semper noua se ingerat; quod nequaquã tamen perpetuū futurum est, aut diuturnum; neque enim veluti de perenni amne, dicere licet: *Labitur & labetur in omne volubilis æuam*: sed citò exhausta corpus substantia deperit, atque anima elabitur. *Fuit* igitur, hoc est, iam non est. Nã de partibus temporis, quod futurum est, necdum est: quod præterit, vltra non est; præsens verò solo momento constat, ne tempori confidamus. Macrobius certè, cum ad Scrapidis effigiem, quem Alexandrini pro Sole colunt, tempus appingeret, transfacti temporis speciem lupino ore exhibuit. Sic autem habet; Simulachro, inquit, signum tricipitis animantis adiungunt, quod exprimit medio, eodémque maximo capite leonis effigiem; dextera parte caput canis exoritur, manlueta specie blandientis, pars verò læua ceruicis rapacis lupi capite finitur: eãque formas animalium draco conuertit volumine suo, capite redeunte ad Dei dexteram, qua conspicitur monstrum. Ergo leonis capite monstratur præsens tempus, quia conditio eius inter præteritum, futurumque actū præsentis valida seruénque est. Sed præteritum tempus lupi capite signatur, quòd memoria rerum transfactarum rapitur, & auferretur. Item canis blandientis effigies futuri temporis designat euentum. De quo nobis spes licet incerta blanditur. Hæc ille. Blanditur igitur, vt canis, futuri spes; at præteritum, vt lupus, & fera pessima, Iosephum deorat: quòd hic quoque factum videmus. nam qui fuisse refertur, modo nusquam

*Humana vita inconstantia.*  
 S. Epiphanius hæresi 64.

*Tripes præsens solo momento constat.*  
 Macrobius lib. 1. saturnal.  
 Simulachrum temporis.

*Præteritum tempus lupi comparatur.*

I.

**A** est: rapuit enim illum præteriti vis temporis, quæ nulli rei parcat, nec quod semel aboleuerit, vnquam restituit, nisi quos æternitas ipsa mortis faucibus extorqueat: at præsens tempus, quamobrem Leoni comparetur non satis video, cum, præter instans breuissimum, tribus nihil illi possit. De quo præclare omnino Censorinus lib. de die natali: Præsens, inquit, quod medium est, adeo exiguum & incomprehensibile est, vt nullam accipiat longitudinem, neque aliud esse videatur, quàm transfacti futuri que coniunctio: adeo que porrò instabile, vt ibidem sit nunquam, & quicquid transcurrit à futuro decerpit. ] Diuiditur propriè, inquit S. Ioannes Damascenus, tempus in præteritum, & futurum, & quidem **B** per temporis punctum diuiditur, estque temporis momentum præteriti finis, & futuri principium, temporis autem pars ne minima quidem: verum quod est in linea punctum, & in motu *inimica*, id est, motus punctum, hic etiam in tempore est temporis punctum. Quantitatis enim expertia, atque ab omni diuisione aliena sunt, linea, motus punctum, & temporis puncta. Hactenus S. Ioannes Damascenus. Plutarchus etiam in eo libro, què de Epapud Delphos inscripto composuit, alterius quoque tituli meminit, qui pro iisdem foribus inscriptus erat, & vtrumque sic explicat. Deus enim vnnumquemque nostrum huc accedentem, veluti salutans, compellat, *Nescite ipsi sum* inquit, quod nihilo est, quàm Salue deterius. Nos vicissim respondentem Deo, *Ei*, id est, es dicimus: veram, certam, solamque soli conuenientem ei appellacionem tribuentes. reuera enim essentia nos nequaquam sumus participes. Heracliti est, inquit, non posse quenquam bis in eundem fluuium descendere. Substantiam quoque caducam his eodem in statu nemo attinget: sed celeritas mutationum eam mox dissipat, statim colligit rursus. Iam inde continuantibus à femine mutationibus fœtus fit, infans, puer, adulescens, iuuenis, vir, senex, silicernium, semper posteriore priores abolente ortus: sed nos ridiculi sumus, qui vnã metuamus mortem, toties iam mortui, toties morientes &c. Tandem & aliud argumentum petit ab ipsa temporis conditione atque natura. Nam si idem, inquit, accidit naturæ, quam tempore metimur, quòd mensuræ eius, ipsa quoque nihil est permanens, nihil ens; sed omnia fiunt, aut intereunt; iuxta eorum cum tempore comparationem. Itaque de eo quod est, non licet dicere fuisse id, aut fore quæ verba inclinationem significant, atque discessum, & mutationem, quæ locum in eo quod est, non habet, sed Deus, si ita dicendum est, *est*, & est nulla ratione temporis, sed æternitatis immobilis, tempore & inclinatione carentis: in qua nihil prius est, nihil posterius; nihil futurum, nihil præteritum; nihil antiquius, nihil recentius, sed vna cum sit, vnico nunc sempiternam implet durationem: & huius ratione quod esse dicitur, verè est, non futurum, non præteritum, neque ortum, neque desitum. ] Audis quàm magnificè Plutarchus de Dei æternitate sentit, quàmque difertis verbis eum interitus expertem prædicat? non video

Censorinus lib. de die natali.

S. Ioan. Damascenus physicon c. x. Præsens nulla pars temporis.

Plutarchus in opusculo de Ei.

Essentia nequaquam sumus participes.

Ridiculi qui mortem metimur, toties iam mortui.

Solus Deus verè est, & quomodo.

B